

ram Jurisdictionem Ecclesiasticam, & ceperit esse nomen dignitatis: ideoque in pag. 542. num. 28. rifu dignam ait corruptelam, quæ nostris temporibus invaluit, ut etiam possessores beneficiorum simplicium, vel simplices Clerici, nedum Rectores Civitatum, aut Cursores Curia Ecclesiastica, Abbates nuncupentur, de quo abusu Fagnan. ad cap. transmissa numer. 2. de Renun-
tias.

Itaque Abbates, propriè tales, qui præfunt Monasteriis & Monachis ibidem degentibus, etsi cæteròquin à Jurisdictione Episcopi non sint exempti, habent veram Jurisdictionem ordinariam Ecclesiasticam, possuntque contra suos subditos Regulares non tantum procedere per dispositionem & correctionem paternam, sed etiam per potestatem gubernativam, judicalem, & Jurisdictionalem tam in causis civilibus quam criminalibus, sicut patet ex hoc cap. n. 99. & seqq. docetque Petra d. l. pag. 541. n. 16. & seqq. ac n. 21. & seqq. rectissime extendit ad Abbates temporaneos: cum temporalitas nihil detrahat Jurisdictioni, præminentia, & Dignitati, prout constat de Vicariis Episcopi Generalibus.

Idem de Prælati aliis & Sæcularibus, Episcopò inferioribus, existentibus in Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis, si habeant sub se Collegium aliquod Clericorum, iisque jus dicant, concludendum esse, dubitare non permittunt textus in cap. ut Abbates I. de Et. & qual. & ord. presic. cap. ut Archi. Diaconus 1. cap. mandamus 6. cap. ad hoc 7. de Off. Archi. Diacon. cap. Officium 3. de Off. Archi. Presb. Petra d. l. pag. 542.

Inter ipsos tamen Abbates Regulares atque etiam Prælatos Sæculares, Episcopò inferiores, ab ejus tamen Jurisdictione exemptos, magna quoad Jurisdictionis qualitatem & amplitudinem reperitur differentia. Nam, ut denuò juxta sapientissima principia non facis laudandi Eminentissimi Vincentii Petri tom. 5. Commentar. pag. 91. & seqq. procedam, triplex est classis ejusmodi Abbatum & Prælatorum. Aliqui dicuntur habere qualitatem infimam, & exemptionem purè passivam ab Episcopo, qui præfunt certo generi personarum cujusdam ambitus Ecclesie seu

Monasterii. Alii habent qualitatem mediam, & exemptionem activam cum Jurisdictione non tantum in coetum & personas Collegii seu Monasterii, sed etiam in populum & Clerum certi loci, ita tamen, ut sint in Diocesi ac Territorio Episcopi. Alii de-
mum habent qualitatem magis conspicuam, & quasi supremam, qui nempe Jurisdictionem plenam obtinent in Clerum & populum in certo loco, tanquam in territorio proprio & avulso à Diocesi Episcopi, & verè dicuntur Prælati nullius.

Abbates & Prælati primi generis, quamvis habeant Jurisdictionem activam in subditos aut familiares intra ambitum sui Monasterii vel Ecclesie, ita ut Episcopus neque contra subditos aut familiares, neque contra Prælatum suam Jurisdictionem ordinariam exercere valeat; manet tamen Episcopo Jurisdictio universalis in Clerum & populum, & quoad ipsum Monasterium vel Ecclesiam aut personas ipsi reservatur tum potestas Ordinis, tum etiam potestas Jurisdictionis, à Jure Delegata, veluti relucet passim ex Jure Canon. sub tit. de statu Monach. & Concil. Trid. sess. 25. de Regular. cap. 3. 4. 5. 8.

Abbates & Prælati secundi generis dicuntur quidem etiam nullius, sed minus propriè: utpote cum intra fines alicujus Diocesis esse supponantur; habentque Jurisdictionem in Clerum & populum, at juxta terminos concessionis Apostolicæ, aut quoad actus, hucusque exercitos; quoad alios tamen retinet Episcopus suam Jurisdictionem, saltem in habitu, aut quoad casus, quos jure delegationis Apostolicæ potest exercere per textus in cap. auditis 3. de in integr. restit. cap. auditis 15. cap. olim 18. de Prescript. cap. ex ore 17. de Privileg. Concil. Trid. sess. 23. de Reformat. cap. 10. & 18.

Prælati tertii generis dicuntur semi- & quasi-Episcopi, dum, exceptis iis, quæ spectant ad potestatem Ordinis Episcopalis, possunt omnia facere, quæ spectant ad potestatem Jurisdictionis; sicque in rei veritate appellari valent Ordinarii vel Diocesani. Petra d. l. pag. 96. num. 29. & tom. 4. pag. 528. num. 5. Quomodo autem acquiratur Jurisdictio quasi-Episcopalis? Alibi discutietur.

QUÆSTIO III.

Sintne Abbatissæ vel Præpositæ Monialium Jurisdictionis Ecclesiasticae capaces?

21 Possent illas fieri capaces ex privilegio aut delegatione Apostolica ad actus Jurisdictionis fori externi, quæ potestatem Ordinis non includat, admittimus in hoc cap. à n. 113. & seqq. Pro cujus majori dilucidatione subiungendum I. quoad beneficia Ecclesiastica impropria seu manualia, quæ habent Capellani & Clerici Sæculares in Monasteriis

Monialium, cum non conferantur in titulum, Abbatissæ vel Præpositæ compe-
tantam potestatem, quantam obtinent circa alia officia, tum regularia, tum temporalia. Eminentiss. Petra 10. 3. pag. 345. n. 21. Neque enim susceptio vel etiam dimissio ejusmodi Capellanorum est actus Jurisdictionis, dum etiam laicus Capellanum pro suo libi-

tu admittere, & rursus dimittere valet. II. quoad beneficia Ecclesiastica, propriè talia, & in titulum conferri solita, posse quidem jus præsentandi Monialibus aut earum Præpositis non minus ac laicis competere; institutionem tamen, collativam tituli, non nisi ex privilegio Apostolico acquiri. Barbosa ad cap. dilecta 12. de Major. & obed. n. 2. quò datò, non tam Præposita Monialium, quam ipse Papa, privilegium concedens, collationem seu institutionem facere censetur. Corrad. in praxi beneficior. lib. 1. cap. 4. n. 83. Petra pag. 346. num. 25. & seqq. adducens varia exempla. III. supposito etiam, quòd aliqua Abbatissa institutionem collativam tituli, quæ possessionem in beneficio tribuit, ex privilegio Pontificio consecuta fuerit, institutionem, quam vocant autorizabilem, cujus virtute beneficiato conferatur cura animarum in populum, Abbatissæ non competere, imò ne quidem ex privilegio Papæ tribui posse: descendit enim directè ex potestate clavium, estque actus, essentialiter emanans ex potestate Ordinis, cujus scemina Jure Divino sunt incapaces cap. nova 10. de Penitent. & Remission. & ibi DD. Petra pag. 347. n. 32. & seqq. ubi diversas S. Congregationis & S. Rotæ resolutiones afferunt.

IV. non implicare, ut Abbatissa ex privilegio Summi Pontificis consequatur territorium, separatum cum vera qualitate nullius, veluti S. Rota in Leodiens. Jurisdic. 11. April. 1698. coram Molines pro certo habuit, Abbatissam Monasterii utriusque sexus Ord. S. Bened. in oppido Thorensi potuisse acquirere plenariam Jurisdictionem cum qualitate nullius in Clerum & populum; uti & Sac. Congregatio Episcoporum in nullius Castellana seu Conversanens. 11. Maji 1708. visa est canonizare plenum jus Abbatissæ Monasterii S. Benedicti Ord. Cisterciens. civitatis Convelanensis. Petra d. tom. 3. pag. 348. n. 37. & pag. seq. num. 42. Ita tamen, ut ea, quæ sunt Ordinis, uti est institutio autorizabilis, & alia, muliebri conditioni non congruentia, non per Abbatissam, sed per Vicarium, ad hoc deputatum, exerceri debeant. Barbosa ad cit. cap. dilecta n. 2. Gonzalez num. 8. Petra d. pag. 348. n. 40. Et quamvis aliàs, qui per seipsum non potest exercere actum, neque per alium eundem valeat exercere; id tamen fallit in præfenti, quando dignitati, quæ fulget Abbatissa, non repugnat, ut deputentur Ministri habiles ad ejusmodi actus exercendos, utpote qui recipiunt auctoritatem & Jurisdictionem à Papa, Abbatissâ solam personam designante. Rota Rom. in recent. p. 5. to. 2. decis. 584. n. 17. Card. de Luca disc. 9. de Benef. n. 11. & seq. Pignatell. d. pag. 349. n. 44. & seqq.

CAPUT VII.

De Jurisdictione non-propria, Mandata, & Prorogata.

SUMMARIA.

I. Mandata cognitione causa, non censetur mandata executio. 2. & 3. An saltem definitio mandata videatur? Cum distinctione respondeatur. 4. & seqq. Merum imperium de Jure Civili mandari nequit. 7. Explicatur textus in l. 6. ff. de Offic. Proconsul. 8. & 9. An adoptio, emancipatio &c. de Jure Civili quondam mandari poterint? Textus pro utra-

que parte. 10. & seqq. Declaratio & conciliatio textuum ex commentario D. Gerardi Noodt. 14. & seqq. Tacita Jurisdictionis prorogatio ex parte rei oritur ex litis contestatione. 17. & seq. Resp. ad l. 7. ff. de Judic. 19. & seq. Quis habeat jus exequendi sententiam, latam à Judice prorogato? Sub distinctione resolvitur.

QUÆSTIO I.

An, si alicui mandetur cognitio cause, simul etiam definitio & executio mandata censeatur?

Executionem non censeretur mandata, tantò certius est, quòd etiam Judex, ad causæ cognitionem datus, notionem habeat, executione tamen careat l. à D. Pio 15. in pr. ff. de Re judicata. De definitione majus est dubium, cui deponendo Huberus ad tit. ff. de Jurisdic. sub n. 8. hanc distinctionem adhibet. Refert nimirum, an procedatur in scriptis, nec ne. Si prius; Judex, qui causæ

cognitionem alicui mandat, id agere videtur, ut molestia cognitionis, audiendi partes, examinandi testes, & scribendi informationes, allevetur, non ut omnibus officii partibus, adeoque causæ ultimata definitione seu decisione eruere se voluerit. Si posterius, ac solis audientis res disceptatio peragatur; res loquitur, alium, quam qui cognovit causam, non posse eam definire.

QUÆSTIO II.

An Merum Imperium de Jure Civili possit mandari?

4 **N**egativam asserui, & probavi in hoc cap. num. 68. ex l. quæcunque i. in princ. ff. & §. 1. ff. de eo, cui mand. est Jurisd. quam pulchrè explicat D. Gerardus Noodt de Jurisd. lib. 2. cap. 4. ait enim Papinianus per nomen generale, quæcunque specialiter Lege vel Senatusconsulto, vel constitutione Principum tribuuntur, mandata Jurisdictione non transferuntur, id est, neque palam mandata transeunt, neque per consequentiam mandata Jurisdictionis transferuntur: & idè, pergit, videntur errare Magistratus, qui, cum publici judicii habeant executionem, Lege, vel Senatusconsulto delegatam, veluti Legi Julia de adulteriis, eisi que sunt alia similes, Jurisdictionem suam mandant: et si enim initio apud Reges, & etiam, post hos exactos, apud Consules, qui tum juri dicendo præerant, fuerit propter vim imperii; attamen mox Valeriâ aliisque insecutis Legibus separatim fuit à Consulibus Jurisdictione; cœpitque inde in causis singulis Populi jussu delegari certis personis; Populi verò injussu Consulibus aut alterius Magistratibus propter vim imperii nullum esse, probat Pomponius in l. necessarium 2. §. 16. & 23. ff. de O. F. cum ordo certus, etiam Quæstor certus ipsis sit positus Legibus, quibus constitutæ sunt, Auctore Quintiliano declam. 338. parte altera, ibi: habent ea (publica judicia) suam formam,

suam judicium, suum numerum, Quæstorem suum, sua tempora, sua nomina. Atque, ut rursus Papinianus in d. l. arguit: hujus rei fortissimum argumentum est, quod Lege Julia de vi nominatim cavetur, ut is, cui obigerit exercitio, possit eam, si proficiscatur, mandare. Petit nimirum argumentum ab ordine judicii publici, illudque dicit fortissimum: quia est à contrario sensu in clara & certa voluntate Legis: quæ Quæstoribus, si proficiscatur, permittit merum imperium mandare: sed, si præsens sit, & non proficiscatur, idè mandare non patitur: tantum quia silet isto in casu; & ut Seneca ait de Benefic. lib. 5. cap. 21. non permittendò vetat.

Neque contrarius est Ulpianus in l. solet etiam 6. ff. de Offic. Proconsul. quamvis enim Proconsul possit eustodiarum cognitionem Legatis mandare, non quidem hætenus, ut eos vel condemnent, vel absolvant, sed saltem, ut eos audiant, & præauditos ad se remittant, quò innocentem ipse liberet; attamen ipsemet fatetur, hoc genus mandati extraordinarium esse, id est regulæ Juris adversari: nam cognitionem æquè facere partem meri imperii, ac decretum aut executionem, patet ex superioribus: nec enim, ait Ulpianus, potest quis gladii potestatem, vel cujus alterius coercitionis ad alium transferre. Ita ille.

QUÆSTIO III.

An adoptio, emancipatio, & manumissio de Jure Civili mandari olim potuerint?

8 **Q**uod non potuerint, inclarescit ex §. eadem Lege 4. Inst. Quib. ex caus. manumiss. l. quod 21. ff. de Manumiss. vind. l. adoptare 1. ff. de Off. Jurid. Quamobrem etiam Legato Proconsulis ejusmodi actus leguntur vetiti per textum manifestum in l. omnes 2. §. 1. & l. seq. ff. de Offic. Proconsul. ibi: apud Legatum Proconsulis nominem manumittere posse, quia non habet Jurisdictionem talem; nec adoptare posse: omnino enim non esse apud eum Legis actionem.

9 At huic assertioni è diametro contradicit Paulus in l. apud 17. in pr. & §. 1. ff. de Manumiss. vind. ubi dicitur: apud Proconsulem, postquam urbem egressus est, vindicta manumittere possumus. Sed & apud Legatum ejus manumittere possumus.

10 Varias utriusque Legis conciliationes adducit accuratus Legum Interpretes D. Gerardus Noodt d. lib. 2. cap. 7. Tandem, verum experiamur, inquit, ne, quod Paulus scribit de Legato Proconsulis, parvò momentò possit transferri ad Legatum Cæsaris: hunc enim manumissionem atque adoptionem habuisse, facile intelligitur ex l. præ-

ses 2. ff. de Off. Praef. l. non est 7. ff. de Manumiss. vind. Porro mendam Paulo obrepisse ex affinitate voculæ ejus, & sigli Caes, non improbabiler olim ostendit Petrus Burgius vir doctus, lib. 1. Elect. cap. 2. Quamquam probabilius restituerim, sed & apud Legatum C. manumittere possumus: quod, sicut Legatum Cæsaris indigitabat, ita facile declinavit in proximum illud: sed & apud Legatum e. manumittere possumus, id est, apud Legatum ejus &c. solet enim vox ejus, si siglis credimus, notari literâ e. solet verò Cæsaris etiam ita e. scribi, ut ex iisdem constat Veterum siglis, & præterea probant inscriptiones l. 8. Cod. de Pignerat. act. l. 6. Quod cum eo, qui in aliena pot. l. 6. Cod. ad Sct. Macedon. l. 4. §. 6. & 7. Cod. de Malef. & Mathemat. & aliis sexcentis locis. Ita Pauli sensus 13 erit, posse manumitti apud Proconsulem, postquam urbem egressus est: posse etiam apud Legatum Cæsaris, seu Præsidentem, sed jam provinciam ingressum. Hoc enim bene atque observatè addit Halvandrina, & vulgata Accursii editio: argumentoque ei, quòd insignia sua non ante accepit Præses, quam pro-

provinciam ingressus; Proconsul verò statim, atque urbem egressus est, sua insignia habuit; ut à Dione Cassio lib. 53. & Ulpiano l. 1. ff. de

Off. Proconsul. & Leg. traditum. Hæc & plura cit. Noodt; qui etiam in cap. 8. 9. 10. & 11. ulteriora discutit de Jurisdictione mandata.

QUÆSTIO IV.

An & quatenus inducatur tacita Jurisdictionis prorogatio?

14 **D**eclaratum id in præf. cap. num. 117. & seq. dictumque, ex parte rei conventi Jurisdictionem alieni Judicis prorogatum ceneri, quando is, vocatus ad Judicem, litem est contestatus. Cujus quidem mentis est etiam Noodt d. lib. 2. cap. 13. sed in allegata à nobis l. nemo 4. Cod. de Jurisd. quæ, nemo, ait, post litem contestatam ordinaria sedis declinet examen, dispungenda putat verba post litem contestatam, quæ loci sensum faciunt planè ineptum: vetat enim Constantinus, ne quis, habens Judicem, qui est Præses provincie, adversarium suum ad Præfectum prætorio aut Comitum Orientis, aut ad similem Superiorem Judicem provocet, sed ad Ordinarium, id est, ad Præsidentem; utque ad Sacrum auditorium, quod est Præfecti prætorio aut Comitum Orientis, tum demum veniat, quando à sententia, per Præsidentem, appellat. Itaque memoratus Crus existimat, ad probandum propositum sufficere textus in l. ubi 30. l. sed et si 52. in pr. ff. de Judic. l. ult. Cod. de Exception. Quibus texti-

bus adjungi potest l. non videtur 33. ff. d. t. de Judic. quòd non videatur in Judicem consensisse, qui ead sibi genus apud eundem Judicem desiderat actionis: quippe qui, intelleda formulâ actionis; quâ actor contra eum usus est, primùm deliberare potest, an cedere vel contendere velit. Quòd autem in contrarium, quasi litem contestatio ad tacitam prorogationem ex persona rei non requiratur, sed sola in jus vocatio sufficit, objicitur l. si quis 7. ff. de Judic. ubi dicitur eum, qui, posteaquam in jus vocatus est, miles vel alterius fori esse cæperit, jus revocandi forum non habere, quasi preventum: planè ad nostrum casum non pertinere, rectè scribit cit. D. Noodt: agitur enim ibi non de Jurisdictionis prorogatione quoad Judicem, alioquin incompetentem, sed de conservatione Jurisdictionis ex parte Judicis proprii, quæ jure præventionis in salvo manet, dummodò secuta sit in jus vocatio seu citatio, etiam si postea, qui in jus vocatus est, forum mutaverit.

QUÆSTIO V.

Quis habeat jus exsequendi sententiam, latam à Judice prorogato?

19 **P**ræclare hic distinguit D. Huberus ad tit. ff. de Jurisd. n. 12. utrum Judex, cujus Jurisdictio est prorogata, saltem Jurisdictionem mediatam habeat in reum condemnatum, veluti si quis, omisso Judice immediatò, ad Curiam seu Dicastrium citatus, ibidem comparuerit, litemque susceperit; an non. Primò casu vix dubitationi locus est,

quin Judex prorogatus, sicuti jus dicendi sententiam, sic & facultatem exsequendi habeat. Secundò casu poterit equidem Judex prorogatus exsequi sententiam, quando reus ibidem bona aliqua possidet; at, ubi bona non reperiuntur, erit implorandus Judex alius, qui habet in potestate condemnatum.

CAPUT VIII.

De Jurisdictione Contentiosa & Voluntaria.

SUMMARIUM.

1. & 2. Actiones Legis distinguuntur ab actibus legitimis. 3. & seqq. Edocetur varietas inter Jurisdictionem contentiosam libellariam & decretalem. 7. Describitur tribunal.

8. Item cognitio de plano. 9. Exponitur l. 4. Codic. de Dilation. 10. Differentia inter cognitionem summariam & de plano tractatur.

QUÆSTIO I.

An actiones Legis distinguantur ab actibus legitimis?

1 **R**esp. quòd omnes quidem Legis actiones (quarum tres enumeratæ hoc cap. n. 18.) sunt actus legitimi: eò quòd geri debeant, & Schemier Supplem. Jurispr. Canonico-Civili.

juxta formulam, à Legibus præscriptam; sed non vicissim actus omnes legitimi sint actiones Legis: liquidem acceptilatio, servi optio, hæc-

hæreditatis aditio sunt actus legitimi l. actus 77. ff. de R. J. nec tamen sunt Legis actiones: utpote cum fieri possint solâ privatorum voluntate, absque ulla Magistratûs auctoritate, & interventu Jurisdictionis. Imò, licet tutoris datio sit actus legitimus, & auctori-

tatem Magistratum desideret, non tamen est Legis actio: Legatus enim Proconsulis tutorem dare potest; actio autem Legis apud eum institui non potest l. nec adoptare 3. ff. de Off. Procons. Huberus ad tit. ff. de Jurisd. dict. num. 6.

QUÆSTIO II.

De tunc duplex Jurisdictio Contentiosa, libellaris & decretoria?

3 **R**elata illa in hoc cap. n. 5. & 6. ex Obrechtio. Facem accendunt, quæ traduntur à D. Gerardo Noodt de Jurisd. lib. 1. c. 10. Nempe in Jure Civili Romano libellus & cognitio seu decretum sibi invicem opponuntur, uti videre est in l. nec quidquam 9. §. 1. ff. de Off. Procons. & Leg. l. minorum 6. Cod. de Præd. & aliis reb. minor. Nam, ubi res per libellum expediri poterat, is, qui postulare aliquid volebat, de plano Magistratum adibat, libellum offerendò, eique Magistratus per subscriptionem respondebat per l. libertus 15. ff. de in Jus voc. l. si quis 29. ff. ad L. Cornel. de Fals. At, ubi decretum & causæ cognitio desiderabatur, per libellum, aut de plano res expediri non potuit, sed pro tribunali fieri debebat d. l. nec quidquam 9. §. 1. ff. de Off. Procons. l. bona autem 3. §. 8. ff. de Bonor. possess. Et quamvis ea, quæ per libellum petita sunt, etiam pro tribunali expediri & subscribi potuerint; non tamen illa, quæ cognitionem & decretum exposcebant, alibi, quàm pro tribunali, fieri poterant. 7 Erat autem tribunal locus eminentior, ferè hemicycli schemate introrsum curvatus, cui imponebatur sella curulis, in qua sedens Ma-

gistratus jus dicebat, hastâ positâ; sicque pro tribunali procedere solebat. Ubi autem Magistratus de tribunali descendebat in planum, aut in via, aut domi suæ dicebatur, dicebatur de plano cognoscere seu procedere, audiendò postulantium desideria. Quo in sensu capienda l. à procedente 4. Cod. de Dilation. ibi: à procedente Juaice dilationem non convenit postulari, etiamsi utraque parte presente tribuatur, cum non aliàs, nisi causâ cognitâ, indulgeri queat, & cognitio causa non interpellatione planaria (vulgò legitur plenaria) sed confidente magis Juaice legitime colligatur.

Neque tamen existimes, de plano & summariim cognoscere semper in idem recidere: nam ea quidem, quæ de plano fiebant, summariim tantummodò & obiter quasi cognoscebantur; sed & quædam erant negotia, non aliam quàm summariam cognitionem postulantia, v. g. bonorum possessio ex edicto Carboniano vel ad exemplum ejus l. Carbonianum 3. §. 4. ff. de Carbon. Ed. l. sicut liborum 1. §. 14. ff. de Ventre in possess. miss. nec alibi, quàm pro tribunali, expediebantur d. l. bona autem 3. §. 8. ff. de Bonor. possess. l. utile tempus 2. §. 2. ff. Quis ordo in possession. serv.

CAPUT IX.

De Imperio.

SUMMARIA.

1. An verum imperium Magistratibus competat ut proprium? Ratio ambigendi. 2. Solvitur hæc ratio, & defenditur affirmativa. 3. & seqq. Illustratur & stabilitur. 6.

An imperium mixtum de Jure Romano sit penes omnes Magistratus? Refertur opinio negativa. 7. & 8. Juxta diversitatem imperii deciditur.

QUÆSTIO I.

An Merum Imperium competat Magistratibus ut proprium, vel alienum?

1 **R**ationem dubitandi movent aliqui ex eo: tum quia Merum Imperium competit non jure ordinariò, sed ex speciali beneficio: tum quia non habetur quoad proprietatem, sed quoad usum duntaxat per l. quacunque 1. in princ. verb. ut is cui obtigerit exercitio ff. de Off. ejus cui mand. est Jurisd. Verùm jam in cap. 1. num. 87. animadversum est, Jurisdictionem extraordinariam, ad quam

refertur Imperium Merum de Jure Civili, rectè propriam appellari: hóc ipso enim, quòd ex Lege habeatur, non habetur ex beneficio hominis, uti mandata & prorogata: consequenter habetur & exercetur jure proprio, in persona habentis radicató. Certè de Jure Civili nulla Jurisdictio, etiam Ordinaria, fuit habita jure proprietatis in eo sensu, quòd de ea, sicut hodie sit, qua-

4 si hæreditariâ & patrimoniali potuerit disponi; sed tantum jure suo. Id quòd insigniter explicat Huberus ad tit. ff. de Jurisd. dict. in rubr. de Imper. n. 6. omnis, inquam, potestas in Republica derivatur à Principe, à quo si immediatè descendat, Juris ratio vult, ut propriam dicamus potestatem his, quibus data est. At à Principe concedi Merum-

Imperium, idque semper ab eo dependere, fatemur. Ideòque, si quis hanc ob causam jus Principis appellare velit proprietatem, & quòd Magistratus habeat exercitium, potest quidem; sed tunc idem de Jurisdictione omnique potestate dicendum, non de Mero Imperio duntaxat. Ex quibus liquere patet responsio ad cit. l. quacunque 1. in pr.

QUÆSTIO II.

An Imperium Mixtum de Jure Romano competat omnibus Magistratibus?

6 **I**lli, qui negant, & ad suum intentum adducunt l. ea qua 26. in pr. ff. ad Municipal. ubi, qua magis Imperii, quàm Jurisdictionis sunt, à Magistratibus municipalibus fieri non posse dicuntur; in nostris principiis facillè refelluntur: concessimus enim in hoc cap. n. 71. Magistratibus inferioribus alteram speciem Mixti Imperii, in qua Imperium subsidiariè, quatenus opus est coërcitione, multæ dictione, pignoris captionem ad Jurisdictionem securius administrandam; negavimus econtra

in num. 70. illam speciem, in qua vis Imperii eminet præ Jurisdictione seu causæ cognitione: quò intellectu declaranda est cit. l. ea qua 26. in princ. uti constat ab exemplis, in §. 1. subjunctis ibi: Magistratibus municipalibus non permittitur in integrum restituere, aut bona rei servanda causâ jubere possidere, aut dotis servanda causâ, vel Legatorum servandorum causâ: cujusmodi exempla in numero 77. & seqq. ad hanc speciem redacta sunt.



SUPPLEMENTUM

AD

LIBRUM II.

TRACTATUM I.

DE

JUDICIIS.

CAPUT I.

De Judiciis in genere.

SUMMARIA.

1. & 2. Discrimen inter processum summariim & de plano iterum indicatur. 3. & seq. Expanditur processus summariim. 5. & seq.

Adumbratur processus executivus. 7. Expanditur processus preparatorius & principalis. 8. Illius exempla.

QUÆSTIO I.

Qualiter in Judicio summario procedatur?

5 **C**ommunis est traditio, in Judicio summario procedi de plano. At, ne vocabuli fiat abusus, sciendum est ex priori lib. tract. 5. cap. 8. num. 10. ly planum, strictè acceptum, non semper esse idem ac summariim.

Nam causæ summarie aliquando tractantur à Judice, pro tribunali sedente, quoties nimirum, præviâ cognitione summariâ, interponendum est decretum, aut ferenda sententia, velut in decretali bonorum possessione